





2 **Alchimie**. — **Clavicule de la science hermétique** (La) écrite par un habitant du nord dans ses heures de loisir, l'an 1732. *Amsterdam, P. Mortier*, 1751, in-12 de 73 +IV pp. demi-veau rouge, dos orné fil. or et à froid, coins. (Ch. 25) 32/- 120 fr.

Texte latin avec la traduction française. — Cet ouv. est un traité d'alchimie fort savant inspiré du Zohar et basé sur la kabbale de la table de Pythagore. Toute la clef des opérations repose sur le fameux Schemaniphorasch des Hébreux. L'auteur, très versé dans la kabbale laisse entrevoir dans ses pages les plus grands mystères du monde, entre autres la loi occulte des nombres, d'où dérivent la quadrature du cercle, le mouvement perpétuel entendus alchimiquement et la science des saintes lettres selon la doctrine des vrais rabbins.


1873

CLAVICULA HERMETICÆ SCIENTIÆ

AB

HYPERBOREO QUODAM HORIS SUBSECIVIS CALAMO CONSIGNATA.

ANNO CIↃ CICC XXXII.



AMSTELAEDAMI,
Apud PETRUM MORTIER,
MDCCLI.

LA CLAVICULE DE LA SCIENCE HERMETIQUE

ECRITE PAR

UN HABITANT DU NORD, DANS SES HEURES DE LOISIR,

L'AN MDCCXXXII.



A AMSTERDAM,
Chez PIERRE MORTIER,
MDCCLI.

§. 42.

Quicquid in supernis est, simile quid habet inferius: & quicquid inferius est, simile quid habet in mari &c.

Asclepius Cap. XIII.

Iterum ad hominem, rationemque redeamus, ex quo divino dono, homo animal dictum rationale. Minus enim miranda, etsi miranda sunt, quæ de homine dicta sunt: Sed omnium mirabilium vincit admirationem, quod homo divinam potuit invenire Naturam, eamque efficere.

Edda in Voluspa. 60. strophe.

Da munnu epter undursam leger
Gullnar toplur i grase firmast
Dess i årdaga attur hofdu.

i. e.

Post hæc mirabiles
Aureæ tabulæ in herba reperientur
Eorum qui has olim possederunt.

NATURAE

VIRGINI IMPOLLUTAE

ET

ARTI

HANC DUCEM SEQUENTI

Hæc mea otia Vespertina
humillime dico
pulvisculus Paradisi

EGO, HOMO.

A

LA NATURE

VIERGE NON SOUILLÉE

ET A

L'ART,

QUI LA SUIT COMME SON GUIDE

Je consacre très-humblement mes délassemens du soir,
moi, qui suis un grain de poussière du Paradis,

UN HOMME.

LECTORI
BENEVOLO.

Videor mihi vocem tuam prope indignantis audire ad conſpectum hujus codicilli: Mirabere, nondum oportunum nobis viſum, hos rivos claudere, quos ad nauſeam usque antiqua monumenta nobis propinarunt, & tot libri chartæque biberunt: Scilicet ab aquilone, inquies, in hoc argumento novi aliquid exſpectabimus, ubi jam pridem Heliconis fontes rigido inalgeſcunt gelu? Inde Aegyptiorum Iſidi & obſoletis Sacris, nitor & cultus velut poſtliminio reſtituendus eſt? Si auctoris inſuper nomina, otia & negotia perpendis, quid non ab exſpectatione tua alienum & inſolens

ju-

AU LECTEUR BENEVOLE.

IL me ſemble que je vous entens gronder à l'aſpect de cette brochure ; vous êtes étonné de ce que nous ne ſommes pas d'humeur de laiſſer tarir encore une ſource, qui a fourni dequoi remplir tant de papier & tant de livres. Vraiment direz-vous, c'eſt bien du Nord, où il y a longtems que les ſources de l'Hélicon ſont priſes par les glaces, que nous devions attendre quelque choſe de nouveau ſur cette matière? C'eſt de-là ſans doute que doit venir à la Déeſſe des Egyptiens Iſis, & à ſes anciens Myſtères le rétabliſſement de leur prémier luſtre & de leur ſplendeur ancienne. Si vous conſidérez encore le nom, les amuſemens, & les occupations de l'auteur, combien ne ſerez vous pas

judicabis? Si tamen & ipſe æquus es, noli de cauſa nondum tibi ſatis perſpecta ſententiam ferre. Habuit olim Schythia ſuos Abarides & Xamolxides. Si errorem appellas, non eadem cum fabuloſa antiquitate oberrare chorda. Totum perlege & illud fortaſſis Poetæ uſurpabis:

Felices errore ſuo, quos deſpicit arctos.

Neque enim adducor, ut credam, illud uberrimæ Naturæ cornu copiæ, adeo ab aliis exhauſtum eſſe, ut quæ ceteris Alma Mater vocitetur, nobis unis in hac plaga degentibus, noverca

trompés dans votre attente, & combien ne jugerez vous pas cette entreprise étrange? Si vous-même êtes équitable, suspendez votre jugement dans une cause de laquelle vous n'êtes pas encore assez instruit. La *Schytie* a eu autrefois ses *Abarides* & ses *Xamolxides.* Si vous prétendez que nous sommes dans l'erreur, parce que nous ne chantons pas la même chanson que la fabuleuse antiquité: lisez tout & vous direz peut-être avec le Poëte:

Felices errore suo, quos despicit arctos.

Car je ne puis me persuader que la corne d'abondance de la Nature soit tellement épuisée qu'elle, que d'autres ont appellé une bonne Mère, nous soit, à nous qui habitons ces climats, une Marâtre, & qu'elle ne voulût pas que

ca ſit , a quibus nullo vel beneficio vel merito agnoſci voluerit. Fallor, an ſinus etiam nobis aperit ſuos, quos ſi niveos, ſi lacteos & tepentes amas, aude aliquid, infantum more, ſtudio, affectu, ſimplicitate. Perlectis his paginis, occurrent, opinor, nonnulla, de quibus ſiluere alii. Si te delectant & juvant, compos factus ſum voti mei & ad majora me erigunt. Si diſplicent, ignoſce candido animo proximi mei ſtudioſiſſimo.

AUCTOR.

Ut

nous la reconnussions pour Mère par aucun mérite, ni bienfait de sa part envers nous. Je me trompe, ou elle nous ouvre aussi son sein; si vous l'aimez ce sein, blanc comme neige, plein de lait, & respirant une douce chaleur, risquez quelque chose comme font les enfans par des manières simples, flateuses, & pleines d'affection J'espére qu'en lisant ce peu de pages vous trouverez des choses dont d'autres n'ont pas parlé; si elles vous amusent utilement je croirai mes vœux accomplis; & cela m'excitera à tenter quelque chose de plus important: mais si elles vous déplaisent, pardonnez au zèle que j'ai d'obliger mon prochain.

L'AUTEUR.



UT colophonem operi ſuo eximio adderet altiſſimus, hominem creavit, eumque dotibus tam variis, tam inſignibus cumulavit, ut ad ſimilitudinem ſuam fabricatum eſſe, ipſe fateri haud dubitaverit. Quot quantisque eum in poſterum, etiam rebellem & inimicum proſecutus ſit beneficiis, quantisque apud eum fuerint vita & ſalus mortalium, ut filio ſuo unigenito in hominum gratiam non pepercerit, abunde teſtatur ſcriptura, ſufficienter perſuadet Chriſtiana Veritas. Hæc ſunt teſtimonia omni exceptione majora. Sed cum multa apprehendat fides, quæ non intelligit ratio, in hoc tamen conveniunt ambo, quod homo ſit omnium creaturarum creatura nobiliſſima. Tantum valuit hujus veritatis vis & cognitio apud antiquos divina revelatione orbatos, ut Aegyptiis ſcientiarum avidiſſimis, præcipua fuerit



LE Très-Haut pour mettre le comble à la création forma l'homme & le doua de qualités si différentes & si belles qu'il n'a pas hésité à avouer qu'il étoit fait selon son image. L'Ecriture Sainte témoigne & la Religion Chrétienne nous persuade suffisamment de combien de bienfaits Dieu l'a comblé dans la suite, quoiqu'il fut rebelle & son ennemi; & qu'il n'a pas même épargné son fils unique pour le salut du genre humain. Ces témoignages sont au-dessus de toute exception. Et quoique la foi croye bien des choses que la raison ne comprend pas, elle conviennent cependant l'une & l'autre en ceci, que l'homme est de toutes les créatures la plus noble Cette vérité est si claire, & a fait tant d'impression sur les anciens, qui n'étoient pas éclairés par la Revélation; que les Egyptiens très-avides des sçiences faisoient leur principale étude de l'art de se connoître soi-même.

Les

rit cura, primariumque ſtudium: *Noſcere ſeipſos.*

Qui ex Aegypto hauſerunt ſua dogmata Græci, eundem canonem, tanquam veram baſin totius Sapientiæ, in Græciam ſecum tranſtulerunt, ac celebratiſſimi ſui ſani Delphici foribus, ſimulque parietibus incidendum curarunt:

Conſule te ipſum, noſce temet
Et ambula ab intra.

Longa deinceps rerum experientia edocti de harmonia hominis cum univerſo, eum compendium totius, vel potius Microcoſmum ſtatuerunt. Hæc eſt clavis ſigilli magni illius Hermetis, cujus emblema, manus Sphæram vel parvum mundum tenens, cum inſcriptione:

Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id, quod eſt inferius.

De Chymæris alchymiſtici orbis, egregia hæc verba, in robur ſuorum phantasmatum detorquentis & diripientis, nulla mihi cura eſt. Sufficiat,

Les Grecs, qui ont puisés leur dogmes chez les Egyptiens, aïant rapporté dans leur païs cette même règle qu'ils regardoient comme la base de toute sagesse, ont fait mettre sur les portes & les murailles de leur fameux Temple de Delphes, ces paroles

Consule te ipsum, nosce temet
Et ambula ab intra.

Après qu'une longue expérience eut fait appercevoir l'harmonie qu'il y a entre l'homme & l'Univers, on l'a cru l'abrégé du tout, ou plûtôt le petit monde. C'est-là la clef du sceau de ce grand Hermes, *duquel l'emblême est une main, qui tient une sphère, ou bien un petit monde avec cette inscription*

Ce qui est en haut est le même que
ce qui est en bas.

Je ne m'embarrasse pas des réveries des Alchimistes, *qui font violence à ces paroles pour les faire servir à confirmer leurs chimères. Il suffit que leur grand*

ciat, maximum illorum principem ex intimis Naturæ penetralibus hæc hausisse. Unde idem in Asclepio:

Propter hoc, o Asclepi, magnum miraculum
Est homo, animal adorandum & honorandum.

Hanc hominis prærogativam convellere quis forsitan tentaverit, argumento miseræ sortis humanæ, multorum aliorum in tribus Naturæ regnis, tam qua victum & amictum, quam quoad spirituum vitalium, sensuum &c. vigorem longe inferioris, adeo ut ex notitia mei ipsius, nihil aliud proficiendo ediscere possim, quam summam meam imperfectionem, immo omnium in me calamitatum colluviem. Verum an hæc objectio & consideratio, scopo axiomatis nostri repugnet, an vero utilitas ejus in Theologia & Philosophia Morali potius inde elucescat, nunc mihi non est sermo. Liceat in proposito meo huic quæstioni, quæstione prævia obviam ire. Quis te docuit te miserrimum creaturarum esse?

chef a puisé ceci dans les Mystères les plus cachés de la Nature. D'où vient que le même dit dans Asclepius

> C'est pour cela ô Esculape, que
> l'homme est un grand
> Miracle, un animal qu'on doit honorer & adorer.

On pourroit s'aviser quelquefois de vouloir disputer cette prérogative à l'homme, en alléguant le sort misérable des humains, inférieur de beaucoup à celui des autres animaux dans les trois règnes de la Nature, tant par rapport à la manière de vivre & au vêtement, qu'à la force ou vigueur des esprits viteaux, des sens, &c. desorte que si je tourne les yeux sur moi-même, je n'apprens autre chose si ce n'est à reconnoître mon imperfection extrême, & que je suis menaçé de voir fondre sur ma tête un déluge de maux; mais je ne prétens pas décider si cette considération est opposée au but de notre axiome, ou bien si son utilité se manifeste davantage dans la Théologie & dans la Philosophie morale. Qu'il me soit permis d'aller au devant de cette question par une autre que voici: Qui vous a enseignez que vous êtes

eſſe? Nimirum recta tua ratio & vis noſtri Canonis. Si hæc tuam miſeriam aperit tibi, conſervatio tui, te contra ærumnas tuas remedia quærere jubet. Ergo regula mea commodo & ſaluti eſt. Si recta ratio? dic mihi penes quam creaturam, præter hominem, hanc rectam rationem invenis? Ergo creatura, recta ratione prædita, omnium præſtantiſſima eſt. Alioquin venerabilis hæc antiquitas de dignitate hominis vix judicavit ex partibus ejus corporeis, terreſtribus & elementaribus, quas quotidiana experientia docuit innumeris calamitatibus eſſe obnoxias & elementa elementis reddenda; ſed ex admirando nexu & concurſu virtutum ſuperiorum in homine, tanquam in centro ſuo. Reliqua animantia, duabus tantum partibus, corpore ſcilicet organico & ſpiritu vitali compoſita videbant. Tertium quid in homine concernentes, poſt fata ſuperſtes, modo animam, modo ignem cœleſtem, nunc genium, nunc mentem nominarunt. De ejus origine & Patria, divina luce privati, varia ſomniarunt, a reliquis tamen creatis toto

cœlo

de toutes les créatures la plus miſerable? C'eſt ſans doute votre raiſon & la force de notre règle. Mais ſi la force de notre règle vous dévoile votre miſère, la conſervation de vous même vous ordonne de chercher des remédes contre cette même miſère; par conſéquent ma règle vous eſt utile & ſalutaire. Mais ſi c'eſt la raiſon, dites-moi, dans quelle créature excepté l'homme trouvez vous la raiſon? Par conſéquent la créature douée de raiſon eſt la plus excellente de toutes. La vénérable antiquité ne jugeoit pas de l'excellence de l'homme par ſes parties corporelles, terreſtres, & élémentaires, qu'une expérience journalière nous apprend être ſujettes à des calamités ſans nombre, & que ce qui vient des élémens leur doit être rendu; mais elle en jugeoit par la connexion admirable & le concours des vertus ſupérieures & inférieures qui ſe trouvent dans l'homme, comme dans leur centre. Ces grands hommes voïant que les autres animaux n'étoient compoſés que de deux parties: d'un corps organiſé & de l'eſprit vital, ont remarqué dans l'homme une troiſième choſe, qui ſubſiſtoit après la mort, & qu'ils nommoit tantôt ame, tantôt feu céleſte, ou bien génie

cœlo diſtare judicabant ex operationibus ejus, inter quas intellectum, volendi arbitrium, rectam rationem, ſapientiam, amorem veritatum, utpote Mathematicarum, quæ fallere neſciunt, ac reliquas notiones quæ in bruta non cadunt, numerabant. Sicque ex effectu & operatione de exiſtentia animæ certi, de eſſentia & migratione poſt fata incerti, quorundam, imprimis Heroum ac Magorum, animas, albo Deorum ac ſemi Deorum ſuorum inſcripſerunt. Nos vero pleniori ab ipſo auctore imbuti hujus rei informatione, præter rationes has, quæ cum gentilibus nobis communes ſunt, quotidie cernimus novas & indubitatas ejus operationes per fidem ſalvificam, quam apprehendit anima Chriſtiana & cujus notitia in bruta cadere non poteſt.

Nam ſi hoc tertium nobis a creatore directe & per habitum tributum non fuiſſet, haud magis aptus eſſet homo, ac reliqua viventia terræ, de

DEO

ou esprit. Privés de la Révélation ils se sont formés différentes idées sur la patrie & l'origine de l'homme, qu'ils ont jugés différer totalement du reste des Créatures, par ses opérations ; parmi lesquelles ils comptoient l'intelligence, la volonté, la saine raison, la sagesse, l'amour pour les vérités mathématiques, qui ne peuvent tromper, & par les autres notions, qui ne se rencontrent pas dans les Brutes. De cette manière ils se sont assurés de l'existence de l'ame; mais comme ils étoient incertains de son essence, & de ce qu'elle devenoit après la ruine du corps, ils ont placés quelques ames au nombre des Dieux & des Demi-Dieux, sur tout celles des Héros & des Sages. Mais nous qui sommes mieux instruits de ces choses par l'Auteur même de l'ame, nous connoissons non seulement les raisons que connoissoient les Payens, mais nous y découvrons encore tous les jours par la Foi de nouvelles, & de plus sûres opérations : Foi que l'ame Chrétienne conçoit mais que les Brutes ignorent entièrement.

Si le Créateur ne nous avoit pas accordé cette Ame directement & habituellement, l'homme ne seroit pas plus propre que les autres animaux à avoir quelques

DEO quidquam cogitare, vel Evangelium & Chriſtianas veritates recipere, etiamſi millies ipſi prædicarentur. Hoc ipſum indicat in homine quicquam deliteſcere, quod per notiones poſtea, tanquam e ſomno, reſuſcitatur. Si hoc non eſſet, injuſte ab æquo judice ad æternas pœnas damnaretur homo propter neglectum eorum, quorum notitiæ, æque ac bos, herba vel ſaxum incapax fuiſſet. Injuſte a creditore petitur ratio ejus rationis, quæ nunquam concredita fuit. Si vero ſemel concreditum ſua in poſterum culpa perdit ac negligit, debitor ſummo jure hoc modo amiſſi pœnas luere debet, niſi intervenerit gratia creditoris. Huic ſoli creaturæ æternum quid ab æterno opifice collatum eſt.

Per hoc a cæteris animalibus tantum differt homo, anima rationali & immortali præditus, ut non inter ſed ſuper animalia omnia cenſeri mereatur. Per hoc ſubjectionem & inferioritatem ſuam, ſimul ac dominium & præcellentiam hominis agnoſcunt & venerantur reliqui elementorum Cives. Cui accedit recta

ratio

idées de Dieu, ou à recevoir l'Evangile & les vérités de la Religion Chrétienne, quand on les lui précheroit mille fois. Cela même fait voir qu'il y a dans l'homme quelque chose de caché, qui se réveille comme d'un sommeil par les notions qu'on lui présente. Si cela n'étoit pas, l'homme seroit condamné injustement par le Juge équitable à des peines éternelles pour avoir négligé des vérités qu'il étoit aussi incapable de connoitre que l'est le bœuf, l'herbe ou la pierre. Ce seroit de même injustement qu'un Créditeur redemanderoit le remboursement d'une somme qu'il n'auroit pas prêtée. Mais si un Débiteur perd ou néglige par sa faute la somme qui lui a été confiée, c'est à bon droit qu'il en est puni, à moins que le Créditeur ne lui fasse grace. C'est à cette Créature seule que le Créateur éternel a confié quelque chose d'éternel.

L'homme différe donc des autres animaux en ce qu'il est doué d'une ame raisonnable & immortelle; desorte qu'il mérite plûtôt d'être mis au-dessus d'eux que d'être compté parmi eux. Par-là les autres habitans des élémens connoissent, & la sujettion & l'infériorité de l'homme; & sa domination & son excellence. A quoi se joint la saine raison, entens qu'el-

ratio tanquam radiusculus deperditæ imaginis divinæ. Hunc per lapsum protoplastorum maxime adumbratum, & quasi in agone relictum, notitiâ sapientissimæ Naturæ reficere & excolere indefesso studio incumbebant veteres illi Magi Chaldæi, Aegyptii ac Hebræi. Noverunt enim hi Adamum quidem ex Eden pulsum & ejectum, sed nusquam invenerunt Eden e terris sublatum & deletum, quin potius aditum ejus, quamvis strictissime, ibi custodiri Palatii instar, cujus portæ arctissime clausæ, non tollunt existentiam ipsius ædificii vel opum ibi reconditarum. Suam igitur Isidem, Naturam, adiverunt, eamque tot divitiis, tanta sapientia, ubertate & benignitate refertam offenderunt, ut in stuporem quasi versi, unice se ejus studio & cognitioni dederint. Cumque castissima hæc virgo haud facile arceat veros suos procos, dummodo venia Parentis, constanti animo & sine prævio amore spurio, Aristotelis nimirum, Logicarum ac Scholasticarum subtilitatum, sese ipsi totos voveant, indefessis suis officiis, adeo ejus gratiam aucupati

sunt,

le eſt un foible rayon de l'image divine perdue. Les anciens Philoſophes Chaldéens, Egyptiens & Hebreux ont fait tous leurs efforts pour reparer par la connoiſſance de la très-ſage nature ce rayon que la chute de nos premiers Pères avoient laiſſé presque comme éteint. Ils ſavoient qu'Adam avoit été chaſſé d'Eden, mais ils n'ont trouvés nulle part qu'Eden fut ôté de deſſus la terre, bien au contraire ils ſavoient que l'accès en étoit gardé très-ſoigneuſement, comme d'un Palais dont les portes ſont bien fermées, ce qui ne prouve cependant pas que l'édifice n'exiſte plus ou que les tréſors cachés n'y ſont plus. Ils ſe ſont donc adreſſés à leur Iſis, la Nature, & la trouvant pourvue de tant de ſageſſe, de richeſſes & de généroſité, ils en furent tellement étonnés qu'ils ont fait leur unique étude de la connoitre. Et comme cette Vierge chaſte ne rebute pas aiſément ceux qui l'aiment véritablement, pourvu qu'ils la recherchent après en avoir obtenu la permiſſion de ſon Père, & qu'ils ne ſoyent pas animés d'un faux & fol amour pour Ariſtote & les ſubtilités logiques & ſcholaſtiques, mais ſe devouent entièrement à elle; ils ont ſçu gagner tellement ſes bonnes graces, par des

ſunt, ut ipſa illis ſemitam rectam indicaverit adeundi & viſitandi intima ſua arcana: nullam ſibi aliam ſtipulans mercedem, quam laudes maximi ſui Auctoris, prudentiamque & ſilentium amaſiorum ſuorum.

Quousque beati ac ter beati illi veteres hac via olim pervenerint, pleni ſunt omnes libri, plenæ Sapientium voces, plena eruditorum ſcripta. Stupenda eorum rudera, quæ adhuc ſuperſunt, teſtes ſunt palpabiles, neque opes, neque vires, neque cunctas noſtras doctrinas Mathematicas, Architectonicas, Mechanicas, Statuarias, Aſtronomicas, Phyſicas, Chymicas, Magicas &c. Scientiarum illud priſtinum culmen attingere, nedum æquiparare poſſe. Dubitans, vel plura de hoc ſcire deſiderans, adeat Herodotum, Platonem, Democritum, Joſephum, Pancirollum, Morhoffium, Borrichium & alios.

Ne vero medium hoc inter hominem & naturam (quod magnam Catenam vocaverunt) Divinæque illæ ſcientiæ, tantis curis & laboribus ab ipſis quæſitæ & comparatæ, cum ipſis

des careſſes conſtantes, qu'elle même leur a enſeigné le ſentier véritable pour viſiter & pénétrer ſes ſecrèts les plus cachés, ſans exiger d'autre recompenſe que des louanges pour ſon grand Auteur, & la prudence & le ſilence dans ſes Amans.

Tous les Livres & les écrits des heureux & trois fois heureux ſages & ſavans anciens font voir jusques où ils ſont parvenus par cette voye, & les monumens merveilleux, qui nous reſtent encore, témoignent d'une manière palpable que ni nos richeſſes, ni nos forces, ni tout notre ſavoir dans les Mathématiques, l'Architecture, les Méchaniques, la Sculpture, l'Aſtronomie, la Phyſique, la Chimie, la Magie, &c. ne ſauroient atteindre au point de ſublimité où étoit parvenue anciennement la ſçience, bien moins lui être comparés. Quiconque en doute ou bien deſire d'en ſavoir davantage peut conſulter Hérodote, Platon, Démocrite, Joſeph, Pancirolle, Morhoff, Borrichius *& nombre d'autres.*

Mais afin que ce milieu qu'il y a entre l'homme & la nature qu'ils ont nommé la grande chaîne, & cette Sçience Divine qu'ils s'étoient acquiſe par tant de ſoins & de peines ne ſe perdit pas avec eux & ne

ſis perirent ac oblivioni traderentur, columnis, marmoribus, tabulis, lapidibus & libris (per hieroglyphica tamen & literas ſuas ſacras, ut profanum vulgus modeſte arcerent, ſolerti vero & digno artis filio paterent) poſteris conſignare valde ſoliciti erant. Sed haud ſecus ac maxima regna, integræque nationes & urbes, ita ſua quoque habuere fata ſcientiæ, ingraveſcentibus libidine regnandi, diſcordiis & bellis, exulabant Philoſophi, inter Patriæ ruinas ſepulta ſunt ingeniorum monumenta, blandaque Natura quaſi vidua, ſua ſe involvebat virtute. Succeſſit ignorantia, oblivio, barbaries, ferocitas cum contemtu ac odio optimarum artium ac ſcientiarum. De Diocletiano traditur, eum in Aegypto omnes Magorum Libros, quos injuriæ temporum adhuc ſuperſtites reliquerant, mandato publico in unum, ſub pœna capitis, collectos, comburi & penitus deleri juſſiſſe, ne ex eorum ſupellectili & doctrina, tamquam ex promptuario inexhauſto, gens in ſeditiones proniſſima, novis ſemper muniretur opibus, quibus toties eam

ne tombât dans l'oubli, ils ont eu grand ſoin de la transmettre à la poſtérité, ſur des colomnes, ſur le marbre, le bois, la pierre & dans des livres en caractères hieroglyphiques & ſacrés, afin que les dignes Fils de l'art en fuſſent ſeuls inſtruits & le vulgaire exclus. Mais les ſçiences ont ſubi le même ſort, que de grands Royaumes, des Villes & Nations entières. L'envie de règner a fait naitre la diſcorde & les querelles; les Philoſophes furent alors exilés, les monumens du génie enſevelis ſous les ruines de la patrie, & la nature devenue veuve, pour ainſi dire, ſe renferma dans ſa propre vertu. A ceci a ſuccédé l'ignorance, l'oubli, la barbarie, la férocité avec le mépris & la haine pour les arts & les ſçiences. L'Hiſtoire raporte que L'Empereur Dioclétien *ordonna, ſous peine de la vie, de recueillir tous les livres des ſages d'Egypte, qui avoient échappés aux injures du tems & de les détruire & bruler, afinque ce peuple extrêmement enclin à ſe revolter ne puiſât pas de nouveau dans ces livres des richeſſes, dont les prédéceſſeurs de ce Prince l'avoient ſi ſouvant dépouillé.*

Mais

antea exui & ſpoliari curaverunt antecesſores.

Cum vero in hoc communem cum veritate habeat ſortem Sapientia, ut ad tempus quidem premi, nec tamen penitus opprimi ac deleri posſit, etiam invito fato, tanta remanſerunt veſtigia priſtini ejus faſtigii, quum Arabes ſeculis ſequentibus Aegyptum intrarent, ut horum Reges, Principes ac Proceres ſibi denuo devinctos reddere coeperit. Interea nonnullis quidem Grajorum, Latinorumque, ſaltem primis illis Chriſtianiſmi ævis, hæc Eleuſinia ſacra ex Aegypto allata, adire contigit, ſed adeo paucis, ut præter unum aliumve, & illum quidem egregium Magiſtrum, vix nomina ceterorum triſtia horum imperiorum fata nobis reliquerunt. Arabes vero & Saraceni harum ſcientiarum dotibus aucti, non ſolum dominiis potentisſimorum regnorum, verum etiam copia maximorum Philoſophorum brevi annorum ſpatio inclaruere. In hujus rei fidem adſunt ſuperba in Murcia & Granada, alibique a Barbaris Ottomannis nondum diruta monumenta.

Teſtes

Mais comme la Sageſſe *a cela de commun avec la* Vérité, *qu'elle peut bien être perſecutée pour un tems, mais non pas tout-à-fait opprimée ni détruite, il eſt reſté malgré ſa mauvaiſe fortune, tant de traces de ſon ancien luſtre que lorsque les Arabes ſont entrés en* Egypte *dans les ſiécles ſuivans, elle a ſçu s'attacher leurs Rois & leurs Princes. Quelques Grecs & Latins, du moins dans les premiers ſiècles du Chriſtianisme, lorsque les Myſtéres de* Céres *furent apportés d'*Egypte, *eurent en attendant le bonheur de s'approcher d'elle; mais ils ont été ſi peu en nombre, qu'excepté l'un ou l'autre, & cet excellent maitre même, les noms des autres ſont à peine connus. Les* Arabes *& les* Saraſins, *enrichis de cette ſcience, ſe ſont non ſeulement rendus maitres de grands Royaumes, mais ſont encore devenus illuſtres en peu de tems par le grand nombre des Philoſophes qu'ils ont eu: c'eſt dequoi les monumens ſuperbes, qui ſubſiſtent encore dans les Royaumes de* Grenade *& de* Murcie; *& ailleurs, où la barbarie des Turcs les a épargnés, ſont foi: témoins les auteurs les*

Teſtes quoque ſunt optimæ notæ Auctores ad nos tandem transmiſſi.

In horum autem Librorum lectione maxime dolendum, hanc gentem adeo indulſiſſe genio invidiæ ſibi ſoli ſapiendi, ut pauciſſimi ſimplicis naturæ viam indigitaverint, quin potius tirones ſtudio in devia abduxerint, falſa ſupponendo, quæ naturam plus evertunt, quam adjuvant & emendant. Cumque notiſſimum ipſis fuerit, quantum auri ſacra fames mortalia pectora cogat, ut magis allicerent, ſimul ac repellerent inquiſitores a via univerſali Naturæ, mea opinione vera & unica, ad infinitas particulares deflectentes, ad regnum Minerale & Metallicum unice ſe contulere, clamantes quod aurum ſine auro nunquam fieri poſſit, ut ex bove non niſi bos, ex equo equus &c. Quod quidem fundamentum veriſſimum, nam aurum ſine ſemine auri conficere, impoſſibile quoque Naturæ eſt: hoc vero philoſophice ſolvere, & in ſemen redigere ſine noſtro medio & accurata trutina Naturæ, maximo quoque philoſopho impoſſibile erit. Hoc opus, hic labor, in

hoc

plus reſpectables qui le confirment par leurs témoignages.

Il eſt déplorable que ce peuple ait été ſi envieux que de vouloir ſeul poſſéder la Sageſſe, *enſorte qu'un petit nombre d'entr'eux, bien loin d'indiquer dans leurs livres le chemin ſimple de la nature, a ſuppoſé, pour en détourner ceux qui la vouloient connoitre, des fauſſetés qui la détruiſent plutôt qu'ils ne l'aident & ne la redreſſent. Et comme ils n'ignoroient pas que la ſoif inſatiable de l'or poſſéde l'homme, ils ſe ſont attachés uniquement dans la vûe de l'attirer davantage & de le faire ſortir, en même tems, du chemin ſimple de la nature, qui ſelon moi eſt le ſeul véritable, pour le jetter dans une infinité d'autres chemins particuliers, ils ſe ſont, dis-je, attachés uniquement au régne minéral & métallique, ſoutenant que l'or ne pouvoit ſe faire ſans or, tout comme d'une vache provenoit une vache, & d'un cheval un cheval, &c. Les fondemens de cette règle ſont très véritables; car il n'eſt pas poſſible à la nature de produire de l'or ſans ſemence d'or, & il ne ſera de même pas poſſible au plus grand Philoſophe de le diſſoudre philoſophiquement, & de le reduire en ſemence d'or,*

hoc medio adquirendo, quod tibi introitum monſtrabit ad occluſum Regis Palatium. Hoc ſummo ſtudio reticuere Arabes, eorumque diſcipuli & aſſeclæ, noſtrorum temporum Philoſophi: & licet hinc inde aureas quasdam nobis ſparſerint ſententias, unoque ore clament: *Stude Naturæ*, hanc tamen tot larvis, tegminibus, veſtibusque induerunt peregrinis, ut vix ac ne vix quidem ab Hermete ipſo dignoſceretur. Cum tantis viris in arenam prodire, eorumque argumenta convellere, mihi non eſt ſcopus. Quin potius cautionem & calliditatem eorum in occultandis ſecretis Naturæ maxime veneror. Salva tamen eorum venia, licitum ſit mihi, oro, hac vice aſſeverare, quod quamdiu horum veſtigiis inhæſeris, in libris eorum tibi patefactis, nunquam ad optatum ſcopum pervenire potes. Non rectam viam tendis quæ te non ad almæ Naturæ domicilium ducit, ſed potius te inde directe abducit. Unum tamen tibi ſubminiſtrabo conſilium, ſi tantum a te ipſo impetrare potes, ut perlectis nonnullis candidiſſimis Auctoribus, firmiter in animo

ſans notre moyen, & ſans la balance de la nature. Mais voici l'embaras, c'eſt de trouver le moyen de nous procurer l'entrée de ce Palais royal & fermé. Les Arabes *ont eu grand ſoin de nous le cacher, en n'en diſant rien, & leurs diſciples & partiſans, les Philoſophes de notre ſiècle, ont fait de même: car quoi qu'ils débitent de côté & d'autre des ſentences dorées en diſant unanimement,* attachez-vous à la Nature, *ils l'ont néanmoins tellement déguiſée en la masquant & la revêtant d'habillemens étrangers, qu'à peine* Hermes *lui-même pourroit il la reconnoitre. Je n'ai pas deſſein de rompre une lance avec ces grands hommes, ni de refuter leurs argumens, au contraire, je fais beaucoup de cas de leur adreſſe & de leur précaution à cacher les ſecrèts de la nature. Qu'il me ſoit cependant permis de dire, cette fois, que tant que vous ſuivrez les traces marquées dans leurs livres, vous n'atteindrez jamais le but que vous vous êtes propoſé. Quiconque ne vous conduit pas directement au domicile de la Nature, ne tient pas le vrai chemin, mais vous en écarte. Je veux cependant vous donner un conſeil, pourvu que vous puiſſiez obtenir de vous,*

 qu'a-

mo tuo deleas omnem appetitum adeundi & visitandi cruda Metalla, etiam mineralia cujuscunque sint generis, eorum vero loco si ad solas generationes Naturæ earumque examina, etiam tui ipsius te unice applicare statuas, certo persuasus esse potes, te regiam ingressum esse viam. Hic est meus processus. Si quicquam in eo profecerim tuum est judicare ex sequenti mea de hac re opinione, cujus te sine larva, sed candidissimo animo, participem nunc reddam. Si tibi non arridet, tuum erit meliorem investigare, eademque integritate, si placet, mihi retribuere. Saltim mea via te non inducet, Philosophorum more, in sumtuosos & inanes labores, cum præter ordinarium tuum victum & amictum, vix duorum vel trium Imperalium impensam excedat.

Materia mea nec est animalis, nec Mineralis, sed ex omnibus participans, universalis & plus quam ulla alia in mundo res, per sympathiam Microcosmica nominari potest & me-

qu'après que vous aurez lû quelques auteurs, dont la ſincérité eſt avérée, vous effaciez ſérieuſement de votre eſprit toute envie de viſiter les métaux cruds & les minéraux de toute eſpèce; & ſi vous vous appliquez au contraire uniquement aux générations de la Nature, & à en faire l'examen, vous pourrez être bien perſuadé que vous êtes entrés dans la voye royale. Voici ce que j'ai trouvé par mes recherches: vous jugerez vous même par l'opinion où je ſuis ſur ce ſujet, & que je vas vous communiquer ſans détour, ſi j'ai avancé ou non. Si mon opinion ne vous plait pas, cherchez-en, je vous prie, une meilleure & m'en faites part avec la même franchiſe. La route que je vous indiquerai ne vous engagera pas du moins à faire de grands fraix, ni des travaux inutiles à la manière des Philoſophes; vû qu'outre les dépenſes ordinaires, que vous êtes obligé de faire pour votre entretien, il ne vous en coûtera pas plus de deux ou trois écus.

Ma matière n'eſt ni animale, ni végétable, ni minérale, mais elle participe à tous les trois. Elle eſt univerſelle & plus fréquente dans le monde que toute autre choſe quelconque. Elle doit être nom-

meretur, ſemper & ubique, tam in ultima Thule, quam in medio curiæ Romanæ, tam die quam nocte, tam æſtate quam hyeme, tam leviſſimo quam maximo diſcrimine haberi, nec illa ullus mortalium carere poteſt. Nunquam in quiete, ſemper in actu & motu. Nunquam in propatulo, ſemper in occulto. Minera ejus profunda eſt, & Cimmeriis velata tenebris: nam latet in anguſtiis & viſceribus terræ, clauſa, unde ab artifice repente educitur & manifeſtatur.

Agnoſcit originem ſuam e terra, e cœlo vitam. Unde animata non mortua. Mercurius hic quidem vulgi, ſed nequaquam vulgaris. Hic eſt fluidus frigidus, meus fluidus calidus. Ille non niſi innumeris ferme rebus & laboribus ſero & ægre depuratur, meus unico & proprio. Hic meus non niſi in unico corpore quieſcit & reperitur, licet omnia ſub cœlis viventia habeat æmula. Eundem colorem in fine, ac in principio recipit, licet per infinitos medios ſumme exaltatum: Ex infinitis coaleſcit, in-

de

meé par ſimpatie microcosmique, & elle le mérite. On la trouve toûjours & par tout, tant au fond des Indes, qu'au milieu de Rome, tant de jour que de nuit, en Eté comme en Hiver. On peut l'avoir avec très-peu & beaucoup de danger, & aucun mortel ne peut s'en paſſer. Elle n'eſt jamais en repos, mais toûjours en action & en mouvement, jamais expoſée mais toûjours cachée à la vue. La mine où elle ſe trouve eſt profonde & couverte d'épaiſſes ténébres, car elle eſt renfermée dans des lieux étroits & les entrailles de la Terre, d'où ma matière eſt tirée & manifeſtée ſubitement par l'Artiſte.

Son origine eſt de la Terre & ſa vie du Ciel. De-là vient qu'elle eſt animée & non pas morte. Ce Mercure eſt bien du vulgaire, mais nullement commun. Le commun eſt un fluide froid, le mien eſt un fluide chaud. Il faut bien des choſes & des travaux pour épurer celui-là, tandis que le mien n'exige qu'un ſeul travail & qui m'eſt propre. Le mien ne reſide & ne ſe trouve que dans un ſeul corps, quoique tout ce qui vit ſous le ciel en ſoit jaloux. Il a la même couleur à la fin, qu'il avoit au commencement, quoiqu'il ſoit infiniment exalté. Il ſe forme d'une infi-

de etiam crudus, per analysin, trium regnorum affinitates indicat. Ejus vero compositio mihi impossibilis est, nec de ea sum sollicitus, nam præparatus & compositus, quantum proposito meo opus, mihi a Natura in manus traditur. Vilissimus ac abjectissimus, insuper ac pretiosissimus atque carissimus, etiam ante primam operationem. Qua nomen omnibus notissimus, qua virtutes plus quam ignotus & inexpertus. Multos de Cœlesti ejus origine & præstantia, magna augurantes, indeque ad ejus perfectionem omnem moventes lapidem elusit, nescientes ipsius debitam & amicam concoctionem. Unde factum est, ut a summis Philosophis rejectus & damnatus videatur, & quidem merito, cum non nisi unico, vere naturali, congruo, & occulto & philosophico modo, in se ipso & per se ipsum solvatur, moriatur, vivificetur & perficiatur. Omni elementari igne, etiam levissimo, cujuscunque sit nominis, vel pellitur vel necatur, ad minimum inidoneus redditur ad Philosophicam resurrectionem. Unde materia sine debita

ejus

nité d'autres matières, d'où il indique par l'analyse, étant crud, les affinités qu'il a avec les trois règnes. Quoiqu'il ne me soit pas possible de le composer, je n'en suis point en peine; car la Nature me le donne préparé & composé autant qu'il doit l'être pour mon dessein. Il est très-vil & très-abject, mais aussi très-précieux & très-cheri, même avant la première opération. Son nom est très-connu de tout le monde, mais ses vertus sont plus qu'inconnues & qu'inexpérimentées. Il a trompé plusieurs personnes, qui se promettoient de grandes choses de son excellence & de sa céleste origine; & qui ont fait tous leurs efforts pour le perfectionner, ignorant sa vraie & amicale concoction. D'où il est arrivé que de grands Philosophes l'ont rejetté & condamné, même avec raison, puisqu'il ne peut être dissous, ni mourir, ni être vivifié, ni parfait, qu'en soi-même & par soi-même, d'une seule manière vraiment naturelle, convenable, cachée & philosophique. Tout feu élémentaire, même le moindre, quelque nom qu'on lui donne, le chasse ou le tue, du moins le rend-il incapable d'être resuscité philosophiquement. Desorte que la matière est inutile plus qu'on ne sauroit croire sans

une

ejus ignis, vafis & athanoris notitia plane inutilis vixque credibilis.

Ad horum inveftigationem minus nihilo conducunt Auctores, nam fua propria veftigia adeo follicite exterfere, ut tirones etiam vera fufpicantes in devia deflectant, fuos proprios anteactos errores, nugas & deliramenta pro oraculis venditent, & in infinitos labores, fumtus, labyrinthos ac plerumque omnium bonorum jacturam, credulos feducant. Quid mirum igitur, fi nobiliffima hæcce Scientia & inquifitio fummi in Natura Magifterii, tot hodie habeat ofores & hoftes? an prætexta occultandi neceffitas, Philofophis hac in re veniam excufationis dare valeat, valde dubito, cum confultius fit filere, quam fallere & decipere. Ego Naturam ipfam unicam in hoc opere ductricem & magiftram effe autumo. Nam Auctoris fui memor, nefcit errare & fallere.

Notâ mihi materiâ, ejus emendatio & purgatio mihi quoque confideranda

une exacte connoiſſance du feu, du vaſe, & de l'athanor.

